Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

scribit, anno 742 adhuc supervixisse discipulos S. Rudberti. VI denique Anonymus Mabillonianus (Poeta seculi IX, qui Salisburgensium Episcoporum successiones scripsit) alios non recenset, quam Arodberto seu Ruperthum, Vitalem, Hlobargisum, Joannem, Virgilium, Arnonem, Adalramum, Liuphramum.

VII. Robur argumentorum in contrarium facile evanescit: quia Epitaphium S. Ruperti, teste Meichelbeckio non est seculo XV vel XIV antiquius; Calendario Salisburgensi error numeri irrepere potuit, quem deinde plerique alii tum catalogorum, tum historiarum scriptores seculi videntur: Primatus autem si antiquitatem probaret, Salisburgensis Ecclesia junior esset Sabionensis, quod certe falsum.

/ut et Poeta Arenpeckianus

Ex his vides, auctores illos, qui Garibaldum II cum annum 616 defunctum volunt, alio fundamento nititi, quam adventu S. Ruperti circa idem tempus. Quod cum jam non subsistat, neque ulla de Theodone Garibaldi successore apud antiquiores mentio fiat ante annum 649: ~~eundem Garibaldum paulo ante obiisse, et XXIIII circiter annos praefuisse~~ hinc Theodonem istum, subquo S. Emmeramus advenit, ab anno 649 usque ad annum 680 rexisse, existimat Pagius, aliique recentiores. Vid. Pagius ad an. 636; Roßhmannus disquis. Ep. Tartarolli p. II; Rosebius sec. VII, annot. 16.

81) Arbo in vita S. Emmerami apud Surium ad 22 Sept. Arnulfus Vochburgensis in vita ejus. Nec mirum, Bojariam Apostolis adhuc indigisse: cum enim nullus in ea Episcopus sedem haberet, ~~sed~~ et partim a Laureacensi, partim a Sabionensi regeretur: fieri pene debuit, ut sive idololatria, sive haeresum lolia succrescerent.

/et Augustana

82) Paulus Diaconus l. 4, c. 48.

83) S. Magni vitam scripsit ~~tum~~ S. Theodorus Eremita, quae ~~apud~~ exstat apud Goldastum Script. Alem. t. I; item Walafridus Strabo de eodem agit in vita S. Galli, apud eundem Goldastum. Ex Theodoro excerpit ~~pauca~~ pauca, quae vinium Cenivalis nonnihil videntur illustrare. Cum S. Magnus a S. Vicerpo seu Wichperto Augustano Episcopo facultatem petiisset, quod Fauces Julias Monasterium construendi; Wichpertus Episcopus respondit: Locus ille valde est angustus et inhabitabilis populo, etiam ferae diversae ibi morantur, id est, cervi, apri multi, plurimi ursi, et propter illorum multiplicationem Dominus Pipinus (nempe Dux Brabantiae, Major Domus regia, Pater S. Gertrudis, qui obiit anno 646) ad suam venationem exercendam, illum saltum tenet; serpentes etiam plu-

/ipsius S. Magni discipulus, /ab Ermentrio Elvacensi non-nihil interpolata